

Ec. 13. 4to




15.

PRECATIO
AD CHRIS-
TUM,

Handwritten blue ink scribble and number 45

PRO CALAMITATUM
*ubiq; ingruentium mitiga-
tione,*

AB
ADAMO LAMPERTO
Seruestensi scripta & filijs suis
dedicata.



VVITEBERGÆ
TYPIS CLEMENTIS
SCHLEICH.

*Domino
Thomæ Wor-
litz amico p*





PIO ET CANDIDO
LECTORIS.

*Grata Deores est diuinas pangere laudes,
Hoc studio ò quantum est velle placere Deo?
Ipsius auxilium in dubia quoq; sorte rogare,
Maximus ante ipsum cultus honorq; Deū est.
Ergo ego cum doceam formam cœleste rogandj
Numen, Et ornandum laudibus esse Deum.
Jure tuum tribuo mihi lector honeste fauorem,
Si fruor hoc satis est, amplius opto nihil.*

VITTEBERGA
TYPIS CLAEWENTIS
SCHLICH.

ADAMVS LAMPERTVS FILIIS SVIS
ANDREÆ ET HIERONYMO S. D.



TSI IN HAC TRISTI ORBIS TERRA-
rum confusione multi in magno mœrore sunt, &
publicas calamitates sæpe largis lacrymis deplo-
rant: non tamen ideo frangamur animis, nec inuo-
cationem & spem diuini auxiliij in hac nostra fatali neces-
sitate prorsus abijciamus, Sed quia in hæc tristissima tem-
pora incidimus, Filium Dei dominum nostrum *IESVM*
CHRISTVM toto pectore oremus, vt huius temporis æru-
mnas mitiget, & nos in tãtis periculis clementer respiciat. Nec
dubitemus quin istas procellas insignis aliqua serenitas se-
cutura sit propter piorum suspiria. Non deseret *DEVS*
implorantes & expectantes à se auxilium, sicut scriptum est:
Prope est *DOMINVS* inuocantibus se. Et iterum: *Aures DO-*
MINI super preces piorum. Erigant & consolentur nos eti-
am in hoc rerum statu lugubri promissiones in diuinis ora-
culis traditæ, qualis hæc est Esaia 46. Ego feci, ego feram, ego
portabo & saluabo. Et Christus inquit Matthæi ultimo: Ecce
ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad cõsummationem
mundi. Sit præterea nobis solatio hæc ipsius plena consolatio-
nis vox: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis, His pro-
missionib. Euangelicis acquiescamus, & certò statuamus Deũ
nobis affuturum et seruaturum esse Ecclesiam, etiamsi magni
terrores & pericula in conspectu sint.

Scripsi aut in hac consideratione nostræ miseræ precatio-
nem, quam versibus comprehensam prælo submittere & vos
bis filij carissimi dedicare volui, vt & vos lectiõne huius exus-
citati vota vestra cum meis precibus coniungatis, & à Deo
Opt. Max. auxilium & protectionem petatis.

Deus æternus Pater liberatoris nostri Iesu Christi uertat bene omnia in hono-
rem sanctissimi sui nominis, Seruet etiam foueat & defendat Ecclesiam suam om-
nibus humanis auxilijs destitutam, & nostros gemitus propter suam gloriam exau-
diat. Bene ualete, Seruetæ Mense Iunio. Anno salutis, M. D. LXXIX.

P R E C A T I O A D
C H R I S T V M.

CHriste faue, meditor dum grata menteq³ condo
Digna tuis meritis carmina, Christe faue.
Fert animus celebrare meis te versibus, omnis
Gloria te solum, te decet omnis honos.
Maxima Christe tibi debetur gloria solj,
Laudatur merito nomen ubiq³ tuum.
Carminibus te celebrant, dignis te laudibus ornant
Pro se quisq³ viri, fœmina, virgo, puer.
Te colit & celebrat, te Vesper & Ortus adorat,
Te resonant æther, sydera, terra, fretum.
Te genus humanum merito veneratur, honorat,
Cultibus & dignum iudicat esse suis,
Diligis hoc igitur, penitus nec deseris unquam,
Sed tegit in cunctis hoc tua dextra malis,
Adde quod hinc etiam certum tibi colligis agmen,
Quod te perpetuo laudis honore colat.
Agmen ab illicitis alienum cultibus, agmen,
Cui bona promittis sanguine parta tuo.
Laudibus æternis quod te cumulabit abundè,
Commemorans dextra clara trophæa tua.
Quodq³ tot agnoscit benefacta, stupendaq³ pleno
Gesta saluti ferri prædicat ore Dej,

Dum

Dum tua miratur felicia praelia, Marte
Infera sunt quando regna subacta tuo.
Quid moror? hic nullū quantumuis maximus orbis
Agmen habet, quod te tam reuerenter amat,
Semper & inuitas quod semper & allicis ire
Ad tua cœlestes fercula lauta dapes.
O nos felices, tanto complexus amore
Quos Deus est, ut nos in sua regna trahat.
Quæ tibi pro meritis referatur gratia tantis?
Quæ poterunt reddi premia digna tibi?
Ab superant longè nostras tua munera vires,
Omnia sunt meritis inferiora tuis.
Quod decet ergo animi tibi signa rependere grati
Et volo te numeris nunc celebrare meis.
Carminibus constituit mea te celebrare Camæna
Laudibus assiduis te mea Musa canet.
Hoc tamen ut præstet feliciter, adsit Iesus,
Et moueat digitos, & regat ille meos.
Auspice dexteriori scribuntur carmina Christo,
Eueniunt melius cuncta iuuante Deo.
Accingor. Tu summe faue Deus, & mihi vires
Mentis & ingenij suffice summe Deus.
Christe salus mundi, celsiq; habitator Olympi,
Quem præter, nullum credimus esse Deum,
A 3 Qui

Qui sine materia propria virtute creasti
Totius hæc mundi machina quicquid habet.
Qui lunam, stellas, & sydus amabile, Solem
Illustrare suo lumine cuncta facis.
Unica tu soboles summiq; parentis imago,
Ut sine principio es, sic quoq; sine cares.
Tu Deus omnipotens, tu rerum conditor unus
Sustentas nutu cuncta fouesq; tuo.
Omne genus pisces, varium genus omne volucrum
Et pelagus quicquid, quicquid & æther habet.
Cuncta tui primum sunt condita numine verbj,
Condita seruantur numine cuncta tuo.
Tu Deus & Rex es terræq; marisq; poli q;
Tu regis arbitrio cuncta creata tuo.
Tu facis & præsens proprio regis omnia nutu,
Tu quæ sunt, & erant, quæq; futura vides.
Quæq; fuere prius tu ceu præsentia spectas,
Vix sunt una tibi millia secla dies.
Numine Chryste tuo tu præsens omnia seruas,
Præsens qui nullo non potes esse loco.
Ne pereant, recreas animalia, brutaq; pascis
Omnia, seu tellus seu fouet illa fretum.
Aërij montes imis cum vallibus, & quæ
His insunt varijs gramina mixta rosis.
Omnia

Omnia te dominum rerum autoremq³ loquuntur,
Ab pereat quisquis te negat esse Deum.
Esse Redemptorem pie te quoq³ Christe fatemur
Nostrum: laus soli conuenit ista tibi.
Gloria Christe tibi, tua nos benefacta referre
Et celebrare decet, gloria Christe tibi.
Te reparatorem nostrae autoremq³ salutis,
Mentis inops nisi sit, nemo negare potest.
Tu nostras stygijs animas à faucibus Orcj
Seruasti, passus vulnera, flagra, crucem.
Iustitiam merito te nostram agnoscimus, es tu
In quo spes nobis tota salusq³ sita est.
Sis benedicte Deus nostri reparator honoris,
Saluatorq³ hominis sis benedicte Deus.
Tu necis & Satanae populator missus in Orcum,
Prælia gessisti carmine digna canj.
Rupisti laqueos, nigra vincula, tela, cathenas,
Et stygius quicquid roboris Orcus habet.
Te metuunt manes duro iam compede vinctj,
Dum merito pœnam, quam meruere, luunt.
Christe tuum numē metuit, vel quicquid Olympus,
Quicquid habet tellus, æquora quicquid habent.
Tu prohibes stygij ne nos furor opprimat hostis,
Perniciem nobis qui sine fine struit.

Tu

Tu nos propugnas, cura patriaq; tueris,
Tollis & è medio quicquid ubiq; nocet.
Interea tua nos dum dextera protegit, in nos
Mare suo Satanas irruit atq; furit.
Hei mihi, quanta in nos grassatur & aestuat ira
Ille vetus coluber, Tartareusq; Draco?
Incultas animas qui nunq; ledere nostras
Desinit, & prædam quærit ubiq; suam.
Illius ingentes compefcere perge furores,
Et tege cultores hic & ubiq; tuos.
Adfere, flecte, fove, rege, respice, collige cœtum
Perdere quem stygij nititur ira Lupj.
Tartarej varias superare satellitis artes
Da nobis, melius quod dare nemo potest.
Et quia cura sumus tua, tu Deus optime Christe
Nos serua, & vitæ tempora cuncta rege.
Ut tua, da, crescat per totum gloria mundum,
Gloria, da, verbi crescat ut alma tui.
Hac etiam donec vitali vescimur aura,
Maxima sit nobis cura placere tibi.
Utq; minus peccent, tu pectora nostra governa,
Vnaq; sit vitæ regula sermo tuus.
Omnibus in rebus semper tua iussa sequamur,
Eas homini non est spernere iussa Dei.
Quod

Quod superest, inter nos mille pericula serua,
Ferq̄ tuam nobis, ne pereamus opem.
Cladibus innumeris oppressi & mille periclis,
A te nunc querula voce precamur opem.
Magnus ubiq̄ pauor, planctus lugubris ubiq̄ est,
Nemo metu tristi, nemo dolore caret.
Pestifero herbosus corrumpitur aëre campus,
Inficiunt omnes sparsa venena plagas.
Corpora peste cadunt, spectantur funera passim,
Grassantur multis Martia bella locis.
Sepe fames homines etiam malesuada molestat,
Viuat ut ex nulla parte beatus homo.
Adde quot augentur varijs hæc damna periclis,
Tot spolijs, furtis, cædibus atq̄ dolis.
Funditus interea studium pietatis & æquij
Interit: est rerum tristis ubiq̄ status.
Religio, pietas, Charitesq̄, nouemq̄ sorores
Lugent, & lachrymis ora Minerua rigat.
Omnia paulatim lugubrem sumere vultum
Incipiunt, latum ridet, ut antè, nihil.
Aut nunq̄ aut rarò Musarum Præsul Apollo
Plectra mouens sumta ludit, ut antè, lyra.
Omnia deficiunt, confecta doloreq̄ languent,
Instare interitum significantq̄ suum.

B Ante

Ante diem sic cuncta cadunt, sic cuncta senescunt,
Aeger & est subito qui modo sanus erat.
Hei mihi, quem possent non tanta mouere pericla?
Quis præ tristitia, temperet à lacrymis?
Finis erit nostri quis fletus? plurimus hostis
Nos premit, indignis persequiturq; modis.
Nescio quid nobis cœlestia signa minentur,
Forte futura docent omnia plena malis.
Hei mihi, quò tandem nostri tibi cura recessit?
Immemor es populi cur Deus usq; tui?
Signa quid irati iuuat edere tristia vultus,
Semper & offense mentis habere notam?
Scilicet ostendis non hæc tibi secula placere,
Secula plena dolis, innumerisq; malis.
Secula tot vitijs corrupta, quot æquora fluctus,
Flumina quot pisces, astra quot æther habet.
Omnia flagicijs fœdis nunc obruta sordent,
Hicq; nihil, placeat quod tibi, mundus habet.
Succenses merito, patratq; crimina punis,
Iustitia vt poscit Regula sancta tua.
Digna pijs vt enim tu factis premia reddis,
Sic scelerum vindex maximus esse soles.
Ceriùs ah nihil est, quàm turpia crimina plectj,
Et graue supplicium facta nefanda sequij.
Odit

Odit & omne scelus Deus improbat, & mala nunq̃
Impunita manent vindice facta Deo.
Pœnaq̃ peccati comes est, ut corporis umbra,
Diuelli nulla qua ratione queunt.
Nos autem scelerum quamuis malus abstulit error,
Læsimus & quamuis te pede, voce, manu.
Serio velle tamen quia nos resipiscere certum est,
Sis miseris ab sis mitis, ut esse soles.
Plectere parce Deus, nec iustas exige pœnas,
Quid lacerant populū Turcica monstra tuum?
Cur impune nocet, cur nullo vindice semper
Turcarum laniat viscera nostra furor?
Cur passim absumit victricibus omnia flammis
Templa, aras, vrbes, mœnia, tecta, domos?
Hei nimium rigidi Turca nimiumq̃ feroces,
Asperitas quorum nescit habere modum.
Qui nunq̃ Scythicos cessant extendere fines,
Regnaq̃ cum capiant plurima, plura petunt.
Hei mihi, quis tanti satis enumerare tyrannij
Horribilem rabiem seuiciamq̃ potest?
O superi pestem terris auertite nostris
Hanc, pereant spacio tam fera monstra breuij.
Gens inimica Deo, fera, barbara, noxia, Turca est,
Omnia quam rabido ledere Marte iuuat.

B 2

Bellica

Bellica qua semper gerit arma, necemq; minatur,
Ab nemo est superet qui feritate Scythas.
Hi sunt in terris qui Christi extinguere nomen
Conanturq; sua pellere sede Deum.
Hi statuere animis secum semel omnia raptim
Perdere, & in praedam vertere cuncta suam.
Hi nihil illa sum, nihil integrumq; relinquunt,
Vastantes miseris obuia quaq; modis.
Dentur ut exitio Christum pietate colentes,
Pectore magnanimo tristia quaq; ferunt.
Si datur obtineant felici ut sidere palmam,
Hej mihi, qua rabie barbara turba furit?
Templa prophanatis cultissima destruit aris,
Totaq; crudeli mania caede replet.
Durius ab nihil est, nihil indomitisq; Tomitis
Seuius, externis cum potiuntur agris.
Funditus euertunt, populantur & omnia vastant,
Pugnantes iaculis, ignibus, ense, manu.
Millia multa necant hominum, rabiemq; nefanda
Exercent, nec opem qui ferat ullus adest.
Horresco, referens arumnas temporis huius,
Damnaq; nos grauiter qua sine fine premunt.
Que misere affligunt & nos sine fine fatigant,
Fratum nobis quis negat esse Deum?

Sed

Sed pius & iustus Deus es, qui digna repondis
Præmia, pro meritis cuiq̃, ferenda suis.
Obruimur quòd enim damnis, delicta merentur
Nostra, tot hinc clades, tot ferimusq̃, mala.
Da veniam, facinus culpam admissamq̃, fatemur,
Nil nisi peccatum, nil nisi culpa sumus.
Nam sua nolle tibi delicta nefanda fateri
Quid iuvat? heu fugiunt crimina nulla Deum.
Quicquid enim sceleris committitur hic & ubiq̃,
Tu nosti, cui sunt omnia nota, Deus.
Occultum nihil est, Deus omnia scitq̃, videtq̃,
Hunc sceleris nihil est, quod latuisse queat.
Nunc, & vitijs te pollue turpibus, ì nunc
Et contemne, videt qui scelus omne, Deum.
Nos toties lapsos tædetq̃, pigetq̃, pudetq̃,
Pœnitet & tota mente fuisse malos.
Fer Deus auxilium lapsis, scelerumq̃, gravatis,
Ingenti cumulo porrige Christe manum.
Et quia nunc varijs iactamur ubiq̃, procellis,
Mors sit ut in cunctis penè timenda locis:
Pace frui placida, tantis iterumq̃, lenari
Cladibus optamus, subueniente Deo.
Auspicio ductuq̃, tuo fera bella quiescant,
Bella geri nunq̃, qua sine clade solent.

B 3 Non

Non vis, non nobis crudelia praelia cordj,
Nec lites rigida, dissidiumve placent.
Aurea, fac, populo redeat pax, Marte remoto,
Ut celebret toto nomen in orbe tuum.
Annue supplicibus, veniamq; precantibus esto
Mitis, & afflictis quam potes affer opem.
Nec noceat nobis, grauius quia crimina fontes
Plurima nos onerant & malefacta premunt.
O Deus humanam tandem succurre salutj,
Respice nos, dubijs rebus & affer opem.
Affer opem, placido nunc & nos respice vultu,
Scis opus afflictos esse iuuare tuum.
Auxiliatricem tu nobis porridge dextram,
Nec tibi fidentes deseruisse velis.
Sis quoq; nunc prestò, prestò velut antiè fuistj
Multis, in te spem qui posuere suam.
Sis bonus & facilis, sis promptus, mitis & equus,
Ah nimium miseris supplicibusq; faue.
Fer, precor, auxilium, nostris succurre periclis,
Gens tuane pereat, Christe fer auxilium.
Eripe nos tantis ò Christe benigne periclis,
Ne subito pereant tempore cuncta, veta.
Ne vetus & iam iam ruiturus hic orbis ab alto
Concidat, esse vides, nunc prohibere, tuum.
Respice

Respice nos clypeoq³, tuo nunc protege, nec nos
Nunc Deus auxilio destituisse velis.
Eia age surge Deus, cur improbus opprimit hostis
Cœtum, te vera qui pietate colit?
Perpetuo cur nos crudelis provocat hostis?
Cur fremit iratus? Cur sine fine furit?
Cur tua perpetuo cruciantur membra dolore?
Auxilium differt cur mora longa tuum?
Surge fer auxilium, nostris attende querelis,
Ah fer opem, lacrymis & moue are pijs,
Cur sinis affligi nos & tot cladibus angj?
Nonne sumus tua quod dextera fecit opus?
Fratum nobis placasti quando parentem,
Sanguine nonne sumus, turba, redempta tuo?
Hæc duo te moueant, & tandem flectere debent,
Aures ut penetret nostra querela tuas.
Audi summe Deus te supplice voce rogantes,
Afficiant animum nostra pericla tuum.
Respice nos tandem, qui nos, qui cuncta creastj,
Quiq³ tot edisti facta stupenda Deus.
Adsere nos virtute tua, digitoq³ potentj,
Et nunc, quàm fortis sit tua dextra, doce.
Opprime crudeles & contere fortiter hostes,
Corruat ante pedes gens inimica tuos.
Perde

Perde viros dulcem turbantes undiq³ pacem,
Qui nunquam nobis non fera bella mouent.
Largiter effuso populi qui sanguine gaudent,
Undiq³ qui nobis pessima quaq³ struunt.
Reprime conantes tot acerbas edere strages,
Disijce, pelle, fuga quicquid obesse studet.
Terga dabunt, cupiunt nobis quicumq³ nocere,
Conantur qui nos perdere terga dabunt.
Militibus procul hinc pulsis, non amplius hostis
Barbarus in nostris conspicietur agris:
Te duce sed placide florebut tempora pacis,
Martis & in toto desinet orbe furor.
Tu dator es solus tranquilla pacis & autor,
A te pax homini, non aliunde venit.
Tu nisi restituas ablata munera pacis,
Actum erit, & rapidis cymba peribit aquis.
Marte fatigatum nisi tu pacaueris orbem,
Non aderit nobis, quæ fuit antè, salus.
Marte fatigatum si tu pacaueris orbem,
Mox aderit nobis, quæ fuit antè, salus.
Surge, age, surge Deus, ser opem, miserere tuorum,
Qui crucis & mortis causa fuere tuæ.
Obrue crudeli grassantes cæde Tyrannos,
Affligant populum ne sine fine tuum.
Rumpe

*Rumpe moras, & opem miseris mortalibus affer,
Exagitant varijs quos fera fata malis.
Ah tristes gemitus, mæstas admitte querelas,
Exaudi nostras, ò bone Christe, preces.*

τέλος.

Soli Deo laus, honor & gloria in omne ævum.
A M E N.

*AD DEVM PATREM ANDRE-
AS LAMPERTVS FILIVS.*

*O Mnia qui nutu regis, & facis omnia solus,
Omnia namq; potes.*

*Hos Deus exaudi gemitus, nec vota parentis
Tampia sperne mei.*

*Affer opem miseris, dubijs & consule rebus
Conditor alme Deus.*

*Annue quaq; soles alios pietate iuuare,
Protege nosq; iuua,*

*Affere nos, hostesq; Deus compesce nocentes,
Milleq; plecte modis.*

*Impia crudeles meditantes bella Tyrannos
Fulmine perde tuo.*

*Confice, vince, doma, macera, preme, frange, coërce,
Nec superesse sine.*

C

Qui

Qui spernunt animo regnum caeleste superbo,
Esse negantq; Deum.
Omnia vastantes, violentaq; bella gerentes
Contere, dede necj.
Dulcia tranquilla sed commoda pacis amantes
Respice, flecte, rege.
Ut quoq; te vero valeant agnoscere cultu,
Dedita corda tibi.
Marte relegato toto dominetur in orbe
Pacis amica quies.
Bella pati dolor est homini grauis, & mala multa
Bella nefanda ferunt.
Pace nihil melius, vitam sine pace beatam,
Viuere nemo potest.
Nil sine pace sumus, pacem venerabile donum,
Optime redde Deus.
Redde Deus pacem, pax unica mille triumphis
Tutior & potior.
Pace data, rabido Martisq; furore sepulto
Templa, scholasq; foue.
Artibus & studijs fas restituantur honestis
Splendor honorq; suus.
Discat ut ingenuas alacri cupidoq; Camœnas,
Pectore quisq; colat.

Pace

Pace data, toto syncera crescat in orbe
Religionis amor.
Quisq; suum studeat dominū cognoscere Christum,
Credere seq; Deo.
Fucus & insidia cedant, pulsisq; tenebris
Dogmata falsa ruant.
Vera renascatur pietas, omnisq; faceffat
Vana superstitio.
O Deus, huc oculos flecte, & nos respice, nostras
Percipe quæso preces.
Ne tua porcorum vitietur vinea rostris
Te prohibere decet.
Pelle luposq; fuga rapidos, vulpesq; dolosas
Cedere coge procul.
O Deus exaudi te supplice voce rogantes,
Monstraq; tanta doma.
Fortiter è medio quicquid conatur obesse
Tolle, tuosq; tege.
Vulnera per cari precor effice duraq; natj
Flagra, crucemq; tuj:
Tam pia ne madidis oculis caruisse queramur
Pondere vota suo.
Sic celebrare volet, sic laudes quisq; studebit
Amplificare tuas.

*Sic tua maior erit bonitas, meritumq̄, silebunt
Secula nulla tuum.*

*AVTOR AD LECTO-
REM.*

*T*ristia me quoties peccata, nefandaq̄, terrent.
Crimina, mox lacrymans culpaq̄, dolore gemi-
Sic superos vario commotos crimine flecto, (scens,
Et graviter laesos flagrantibus inuoco votis,
Ut vitijs parcant nostris, meritaq̄, remittant
Tot scelerum pœnas nobis sine fine luendas:
Tu quoq̄, quisquis amas tibi conciliare fauorem,
Cœlituum, quorum virgamq̄, iramq̄, pauescis,
Illos absq̄, mora rursus per carmina placa,
Et veniam mecum nostris erroribus ora:
Si superos lacrymae suspiria mœstaq̄, tangunt,
Frrita nec facies mecum, nec inania vota.
Constat enim recipi sua crimina sponte fatentes
Rursus & audiri commissa piacula dolentes.
Ah nihil est facili quod non Deus audiat aure,
Supplicibus precibus nunquam pia numina desunt.

Psalm. CXV.

*Non nobis Domine non nobis,
Sed nomini tuo da gloriam,*

Cl 4160

ULB Halle


3


003 485 978



me







B.I.G.


Farbkarte #13

15.

PRECATIO
AD CHRIS-
TUM,

PRO CALAMITATUM
*ubiq; ingruentium mitiga-
tione,*

AB
ADAMO LAMPERTO
Seruestensi scripta & filijs suis
dedicata.



VVITEBERGÆ
TYPIS CLEMENTIS
SCHLEICH.

*Domino
Thomæ Wor-
litz amico*